
MELETEMA THEOLOGICUM
De
MILLE ANNIS APOCALYPTICIS.

Quod à se compositum
Favente DEO Optimo, Max.
PRÆSIDE
DN. MATTHIA NETHENO,
S S. Theologiæ Doctore & illius in Illustri Principum Nassov. Scholâ Professore, ac p.t. Rectore Magnifico, Ecclesiæque Herbornensis Pastore Primario, Præceptore suo æternùm colendo.

Publicæ eruditorum censura submittet
JOHANNES HENRICUS FLORINUS Niederneysensis Nassovicus, S. Minist. Cand.

Ad diem 28, August. in Auditorio Theologico hori: solitis.



HERBORNÆ.

Typis TOBIÆ JACOBI, Anno 1675.

SERENISSIMI atque CELSISSIMI
PRINCIPIS ac DOMINI, DOMINI
HENRICI CASIMIRI;
Principis Nassoviæ Comitis Cattimelibocorum, Viandæ, Deciæ, Spiegelbergæ, Domini Beilsteinii, Liberi Baronis Liesfeldiæ, Frisiæ, Groningæ, Omlandiæ Dientiæq; Gubernatoris &c. Paternarum Dignitatum Hæredis tam certi, quàm virtutum & quàm Viri Sanguinis & geminatim Nassoviei
CONSILIARIO PRIMARIO,
GENEROSO atque PRÆSTRENUO
DOMINO, DOMINO
JOHANNI A MOTSFELD,
Domino in Segwardt/Pallenstein/Lips & Roccum/ &c. Toparchiæ Decensis Præfecto ut summo, ita eminentissimo
Mecænati suo unico
Meletema hoc Theologicum

Ex veteri formulâ

Do, Dico, Dedico

Ejus Generositatis
Devotissimus & Obsequiosissimus Cliens

JOHANNES HENRICUS
Florinus, Autor & Resp.

LAude si dignus Lacedæmonum mos
Ersuit rectè celebratus olim,
Quo domi cives studii peritos
Commonuère:
Ut darent artis specimen peractæ,
Quo Magistratus mediante posset
Scire progressus placidos eorum
Artis in usu.
Tunc simul mos est celebrandus ille,
Quo Scholæ cives specimen laboris
In suæ fines patriæ remittunt
Hactenus acti.
Ut queant charæ patriæ (tenentur
Cujus imprimis placito studere)
Quid sciant, præstent, studeant agantque
Nosse Regentes.
Atque sic horum placito virorum,
Pro sibi visâ meriti, laboris,
Artis ac usus ratione, tandem
Promoveantur.
Hunc ego moris veteris vigorem
Dum sequi conor, meditationes
De decem sec'lis Satanæ ligati
Instituendo:
Ac meos mentis simul hinc ocellos
In soli fines patrii reduco.
Non diu, cui dem hoc specimen laboris
Distrahor anceps.
Do tibi supplex, *Generose Motifeld*
Magne Diecensis *Moderator* orbis
Atque Nassovæ *Fautor* Palæstræ,
Do tibi supplex.
Non enim in nostris reperitur oris
Arbiter major, regio tenetur
Principis jussu, tibi subjacere
Tota Decensis.
Tu, Magistratum patriæ supremum
Belgio gratæ capiente, cunctos
Subditos curas, moderaris atque
Jure tueris.

Eligant

Eligant multos alii Patronos
Atque Fautores, bonitate quorum
Stent secundati, mihi tu Patronus
Sufficis unus.

Nam tibi tot sunt monumenta raræ
Clara virtutis, probitatis, artis
Ut viri pauci tibi comparandi
Inveniantur.

Quæro, qui nostræ placeant serenæ
Principi, multos video placere
At places gressu reliquis priore
Vir Generose.

Quæro, quos laudet pietas, celebret
Fama, commendet decor, ac adornet
Forma, tu talis, *Generose Motsfeld*
Jure vocaris.

Scrutor in tales, quibus addiderunt
Æquitas, virtus, probitas perenne
Nomen, his tu *Vir Generose* rursum
Annumeraris.

Quæro, quos Musæ studiis, disertæ
Splendidis unquam coluêre valde,
Rursus in te *Vir Generose* figo
Lumina mentis.

Unde pro dicto veterum Laconum
More, quo testes studii leguntur,
Te mei testem studii coopto,
Vir Generose.

Tu meas ergò meditationes,
De decem sec'lis, quibus in vigore
Martyres regnent, Satanâ ligato,
Suscipe quæso.

Semper aspirans Zephyrum favoris
Subdito terræ Deciensis, annos
Mille qui scribens tibi res precatur
Mille secundas.



ME-

MEDITATIO THEOLOGICA

De

Mille annis Apocalypticis.

INsignem illam de vero mille annorum Apocalypticorum sensu, difficultatem, quæ non tam Veteres torsit olim, quam Recentiores distrahit hodie, tenui ingenii trutinâ ponderans, necesse habeo cum sapientissimo illo Gentilium Philosopho Simonide à tyranno Hieronte (referente Cicerone lib. 1. de nat. Deorum) quid aut quale esset Deus, interrogato, dicere; *Quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Adeò autem abstruso omnibus mysterio, Spiritus Sanctus librum illum Apocalypticum quasi obsignare voluisse videtur, cujus quidem indagatione studium nostrum continuò exerceret, omnem verò temerariæ definitionis audaciam cohiberet. Quâ trepidante Apologiâ etiam infantiam & hæsitantiam meam in re tam intricatæ obscuritatis, cujus duro nodo emolliendo dum cuneum sat durum addere nescio, excusari posse confido. Aggredior itaque hanc difficultatem, non tam alios docendi, quàm me exercendi causâ. Fiet autem ita, ut, si non ea, quæ cupimus, addiscamus; sciamus tamen quid de illis mille annis probabiliter saltem sit sentiendum, vel quid temerè potius cum nonnullis de iisdem non sit definiendum, adeoq; declinemus, quæ præcipitent, & summâ summi Numinis revelante clementiâ, ad certiora præparemur. Unde quæstionem sic formabimus.

Utrum Martyres ante resurrectionem universalem & consummationem seculi, mille annos, quibus Satanas ligetur, cum Christo vel in terris vel in cælo existente & regnante, summis deliciis, honore & voluptatibus regnaturi sint?

II. AFfirmativam tuentur omnes tum Veteres tum Recentiores Chiliastæ; at de modo affirmandi tanta illis intercedit convenientia, quanta capitibus vulpium Simsonis caudis unitarum à se invicem aversis. Veteres enim Chiliastæ, quorum *Cerinthus* homo sceleratus multarumque heresean autor, & *Papias* vir alioquin bonus & pius, Hierapolitanæ Ecclesiæ Episcopus (qui ambo sub initia Ecclesiæ Christianæ vixerunt, ille quidem ipsis Iohannis Apostoli temporibus; hic autem paulò post Iohannis obitum) Principes creduntur, duo de illis mille annis asserunt. *Primum*, eos inchoandos esse post resurrectionem universalem, quæ utriusque tum *Cerinthi* tum *Papiæ* sententia fuit. *Secundum*, eosdem in corporis deliciis, cujusvis generis, atque adeò in celebrandis nuptiis, festis & conviviis, in offerendis summo cum gaudio apud Hierosolymam opiparè reædificandam, animalium sacrificiis, quorum usus esset restituendus & in explendis venereis cupiditatibus, transigendos esse, sic præcipuè edocti à *Cerintho* hæretico illo magno: de quo, cùm fuerit, testantibus antiquitatis Authoribus, Semi-judæus; siquidem circumcisionis & Sabbathi observationem docuit esse necessariam & Coriphæum se gessit Pseudo-Apostolorum, contra quos in Concilio Hierosolymitano pronunciatum est; probabiliter conjicitur, quòd dogma suum ex Synagogæ judaicæ mamillis suxerit. *Papias* autem, quamvis etiam sanctis & fidelibus post carnis resurrectionem (ut ille

opinatur

opinatur) in terra mille annos regnaturis magnam deliciarum corporearum affluentiam, antequam in cœlum transferrentur, tribuerit: non tamen legitur statuisse, vel restituendũ esse in hoc regno millenario sacrificiorũ usum, vel etiam fœdis ac illicitis, ut somniabat *Cerinthus* voluptatum corporeatũ illecebris operã dandã esse. Uterq; autem sententiæ suæ suffragatores nactus est, & *Papiæ* quidem sententiam amplexi sunt plerique Patres quatuor priorum seculorum, omnesque Epicureas illas contra *Cerinthum* detestati sunt sordes. Ab his tamen Recentiores, qui *Papiæ* sententiam nostro hoc seculo rursum interpolârunt & renovârunt, longè dissentiunt, non duntaxat vulgò solis Martyribus hoc regnum tribuendo: verum etiam initium horum annorum & finem ante ultimum Christi adventum terminando. Et nonnulli quidem indefinitè post Antichristi interitum resurrectionem quandam Martyrum urgent corporalem, generalem omnium resurgentium mille annis antecedaneam; istos tamen in cœlo non in terra cum Christo regnaturos, & altâ pace, amplissima gloriâ, omniq; prosperitate fruituros, ab omni immunes persecutione, hostili impetu, incursu & insultu, arbitrantur. Ab illis verò in duobus variant alii; *primò* in horum annorum exordio, quod opinantur futurum circa annum Christi 1694 hoc est, annis abhinc 19. *Secundò*, quòd illi figunt regnum in cœlis; hi futurum esse in terris contendunt. Unde ludibrio exponuntur Adversariis Viri alioquin Orthodoxi & optimè meriti de Ecclesia Christi, cùm ex musca hujusmodi unicâ reliquum fœteat unguentum; quia ut hîc, sic etiam in aliis deviâsse existimentur ab æmulis: verùm Adversarii, præsertim Pontificii potius nobis ludibrio habendi sunt, dum tantopere consensu Patrum gloriantur, & tamen hanc ipsorum doctrinam rejiciunt.

III. Nos verò sententiæ huic calculum nostrum adjicere non possumus; cùm ex locis obscuris & allegoricis (cujusmodi ista sunt, quæ partim ex Veteri, partim ex Novo Testamento adferuntur) nefas sit aliquod fidei dogma exstruere, quod non duntaxat nusquam alibi in sacris literis apertè traditum reperitur: verùm etiam infinitis aliis clarioribus Scripturæ dictis expressè contrariatur. Quod ut disertè ostendam, non operæ pretium duco multis tangere illud veterum

terum Chiliastarum somnium de aureo illo seculo demum post universalem resurrectionem in hac terrâ futuro, cùm scriptura passim dicat, omnes electos, quicunquam in hoc mundo vixerunt, terrestri hujus domus tabernaculo dissoluto, aliud ædificium ex Deo habituros esse, domicilium videlicet non manufactum sed æternum in cœlis 2. Cor. 5. 1. ibique semper cum Domino mansuros 1 Thess. 4. 17. Progrediemur itaque ad Recentiores, & quàm longè illi etiam à veritate, quam se tamen præ aliis in hâc sententiâ adoptandâ observâsse jactant, aberrent, paucis juxta quæstionem generalem suprà delineatam, attendemus.

IV. Ut verò certum, argumenta nostra proponendi, ordinē constituamus, quæstionem generalem, quæ multiplex, est resolvemus in has tres partes 1. quæsituri de initio horum millē annorum 2. de modo resurrectionis & 3. de loco regni. *Primò* igitur quæritur; *An hi mille anni regni Martyrum sint modo præterlapsi an adhuc futuri.* Adhuc esse futuros affirmant Chiliastæ, sive demum post resurrectionem universalem, ut Veteres, quos suprà refutavimus; sive citius vel indefinitè post Papatum extinctum, sive definitè, abhinc annis 19. ut quidam Recentiorum autumant. Nos negamus & contrarium probamus hoc argumento;

Anni ligationis Satanæ sunt elapsi.
Anni regni Matryrum sunt anni ligationis Satanæ. E.
Anni regni Martyrum sunt elapsi.

Majorem probo ex fine incarcerationis v. 3. expresso, nimirum ἵνα μὴ πλανήσῃ τὰ ἔθνη ἔτι, ἄχρι τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη: non dicit, ut non occultis ageret cuniculis, non tentaret, non ad βάθη sua recurreret, aut per vicariam bestiam sub devotionis & Ecclesiæ larvâ incolas terræ non inebriaret: sed ut ad Paganismum & abjuratam quasi idololatriā ac superstitionē vi & armis non cogeret, universali bello, per apertos Christi hostes. Atqui talis contigit Satanæ cohibitio præcipuè tempore Constantini Magni, post decimam persecutionum stragem circa annum Christi 300. Nam illo ad imperium evecto, cohibitus est Satanas, ne ut antea, amplius gentes ad idololatriam seduceret, & signis victricibus ad superstitionem compelleret, deniq; Christianos idolorum cultum dedignantes flammâ, & ferro per

ſequeretur. Ergo elapſus eſt jam ante trecentos annos ille Millenarius nec impoſterum exſpectandus. Minoris veritatem evincit textus Apocalyptici ſeries, in quâ cùm habeatur v. 2. vinctum fuiſſe Satanam ad mille annos absq; articulo, atq; ibi detentum, ut non amplius ſeduceret gentes, donec conſummarentur illi mille anni v. 3. ſubjicitur ſtatim v. 4. καὶ τὰς ψυχὰς (ſcilicet εἶδον) τῶν πεπελεκισμένων &c. Et paulò poſt, καὶ ἔζησαν καὶ ἐβασίλευσαν μετὰ τοῦ Χριστοῦ τὰ χίλια ἔτη. Quos verò mille annos? niſi illos ipſos, in quibus ligatus erat Satan.

V. Unde etiam *ſecundò* ad quæſtionem, *à qua ærâ aut Epochâ numerus ille auſpicandus ſit*, facilè reſponderi poteſt. Nec opus eſt cum multis aliis, qui tamen etiam hos mille annos deprædicant elapſos, de certo illorum exordio conſtituendo, ancipiti diſtrahi animo. Ut ſilentio prætercam hic *Cotterii* conjecturam principium hujus aurei ſeculi ad annum Chriſti 617. referentis; unde ſequeretur, Satanam jam eſſe in vinculis, quod vix credibile. Diverſa autem à Sagacioribus annorum illorum momenta ſtatuuntur. *Primum* eſt in Incarnatione Servatoris. *Secundum* in ipſius Paſſione. *Tertium* in excidio Hieroſolymitano. *Quartum* in Conſtantini Magni ad Imperium inauguratione. Ab Incarnatione Chriſti finiuntur mille illi anni in Silveſtro II. mago nimiùm celebri. A Paſſione in Benedicto IX. à diabolo in ſylvis ſuffocato. Ab excidio Hieroſolymitano in Gregorio VII. in Majeſtatem Imperatoriam iniquiſſimo. Ab Inauguratione Conſtantini Magni, in abortu Bonifacii VIII bipedum omnium nequiſſimi. Verùm, quo minus tribus primis exordiis calculum noſtrum adjiciamus, obſtant verba Johannis ℣. 3. expreſſa: μετὰ ταῦτα δεῖ αὐτὸν λυθῆναι μικρὸν χρόνον. At verò, ſi mille illi anni inchoandi eſſent ab aliquo trium exordiorum ſuprà dictorum, tempus illud, quod, elapſis illis, ſecutum eſt, μικρὸν dici non poſſet, quia fermè continet annos ſexcentos, qui certè reſpectu mille annorum non videntur dici poſſe exiguum tempus. Dicendum igitur inchoatos eſſe tempore Conſtantini M. ad Imperium elati; hoc enim maximè congruit, quia etiam eodem tempore Satanas, cujus ligatio juxta textum Apocalypticum cum exordio mille annorum coincidere debet, ligatus fuit. Sicut modo ſuprà oſtendimus & pau-

cis adhuc clarius hic ostendemus.

VI. Observandum autem varios ligationis *Satanæ* dari gradus. Ligatus fuit *primò* tempore incarnationis Christi. Tum enim fortis à fortiori ligatus est, ne videlicet assueta tyrannide electum Dei populum perterrefaceret, vel ut mancipia immaniter contunderet & è medio tolleret, juxta illud Zachariæ, Deus invisit & redemit populum suum, ut liberati è manibus inimicorum sine metu ipsi inservirent. Unde etiam eo tempore oracula conticuêre & obmutescere coacta fuêre. Cum namque Imperator Augustus, extremis ferè imperii sui annis ex Apolline Pythio sciscitaretur, quisnam illi in imperio esset successurus, dæmonium languere incipiens his versibus respondit;

Me puer hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

2. ligatus fuit tempore passionis Christi, quando Servator pro peccatis electorum suorum satisfecit, rituumque chirographum, ne Satanas adversus illos amplius urgeret, è medio sustulit in cruce. 3. ligatus fuit tempore resurrectionis & ascensionis Christi, quo Servator noster contra omnes suos suorumque electorum hostes triumphavit, eos vicit & captivam duxit captivitatem. 4. ligatus fuit tempore excidii Hierosolymitani, ne scilicet legalium obsoletâ reverentiâ Evangelii cursum quovis modo impediret. At postremo peculiariter ligatus fuit tempore Constantini Magni, qui, postquam ad imperium evectus est, liberum concessit Christianis & protexit religionis exercitium, adeoq; effecit, ne Satanæ amplius liceret apertè gentes seducere & Christianos per grassantem Jmperatorum Gentilium sævitiam persequi: utcunq; ne tunc quidem destitit, hominibus latenter dormientibus, per Antichristum vicarium suum, ejusque præcursores hæreticos, sub prætextu uberioris agriculturæ superseminare zizania & aureo fundamento fœnum & stipulam nocentissimam clanculum aggerere, & fundamenta Christianæ religionis non tantum oppugnare: sed etiam apud multos labefactare & evertere. Nec est, quod dicant Adversarii, non defuisse in isto, qui à tempore Constantini Magni excurrit, Millenario Arianismum, sub quo

mundus

mundus ingemuit, apostasias sub Juliano: vastationes & lanienas sub Gothis, Vandalis & Saracenis, sic ut vinctum tum fuisse Satanam & regnâsse Martyres, nemo sanæ mentis dixerit. Nam nec Ariani seduxerunt gentes, ut apertâ vi Christianismum extirparent, sed potiùs astu & consutis dolis Christianos oppresserunt: Julianus verò fuit nubecula citò transiens, sub quo Satanas non tam solvebatur, quam catenam mordebat, quique nunquam ausus est palam Christianos vitâ exuere. Gothi, Vandali & Saraceni nocentiores erant turbines & procellæ ad tempus saltem, sed irruentes semper invenerunt Imperatores & Reges Ecclesiæ Christi Patronos ac Nutricios, quorum vel senserunt vires vel amplexi sunt religionem Christianam. Gemuit igitur tunc Ecclesia sub corrigente calamitate, non opprimente Majestate, ut antea in persecutionibus Imperatoriis: immunis fuit à Principibus domi conculcantibus, non ab hostibus externis (prout tulerit occasio) insultantibus: fuit sub factioso æstu, non apertâ persecutione, Christianismi extirpatione aut ad idololatriam seductione. Atque sic postremum illud momentum seu gradus is est, quo non tantum ligatus, sed etiam in abyssum conjectus Satanas, juxta prophetiam, καὶ ἔκλεισεν αὐτὸν καὶ ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ. Ideoque nihil obstat, quo minus cum Clarissimo Domino Netheno, Præceptore meo venerando, Genebrardo, Napiero, Brightmanno aliisque Theologis accuratioribus controversi Millenarii Epocham in Constantini Magni inauguratione figam.

VII. Quod ipsum etiam adhuc clarius astruitur per illas periodos, in quibus experientia circumspectioribus commonstravit, Satanam esse solutum. Sicut enim distincti gradus sunt ligati, ita etiam soluti Satanæ: prout scilicet ei catena magis magisque laxata est, donec tandem plena solutio successit. Omnes autem soluti Satanæ gradus hîc congerere, non patitur mei instituti compendium. Sufficit mihi plenioris solutionis gradum hîc attulisse, ille autẽ maximè conspicitur in Pontificatu Bonifacii VIII. & Successorum ipsius: ab hujus enim tempore cœperunt esse sanguinariæ persecutiones, apertæ in Sanctos crudelitates & truculenta in Electos Dei rabies. Dum autem hos annos in Bonifacio videmus termi-

nari,

mari, certò concludimus, habitâ temporis Millenarii, quod intercedit, ratione, eosdem à Constantino M. inchoari. Dices forte, Satanam solvendũ dici in textu per exiguũ duntaxat tempus; at tempus illud, à solutione illâ Satanæ, quam tu statuis, præterlapsum usque ad præsens, exiguum dici non posse, cùm tria secula cum dimidio contineat: at dico ego, quòd si plura adhuc tempora, Satanam solutum Deus grassari permiserit [licet ex signis à Christo & Apostolis prædictis, grassationis illius finis non procul abesse videatur] nihil tamen obstare, quo minus totum illud intervallum exiguum tempus dicatur, cùm posterioris illius non minus quam prioris ligationis certi gradus etiam futuri fuerint: ut hoc satis superque colligitur ex Reformatione magnâ seculo 16. factâ, quis enim neget Satanam tum temporis notabiliter vinctum esse?

VIII. Sed utrum ligatio Satanæ absolutè, ita ut nihil omninò agat, vel comparatè, ut non tam crasse, apertè & furenter grassetur, ulterius controvertitur. Chiliastæ affirmant prius, at posterius à nobis rectiùs affirmatur. Non enim sic restringit contextus, ubi ℣ 3. ita tantum clauditur & super eum abyssus obsignatur, non ut nihil agat vel nullo modo noceat, sed ἵνα μὴ πλανήσῃ (scilicet more solito) ἔτι τὰ ἔθνη, nimirũ paganos & hostes Ecclesiæ vel dementando idololatriæ & superstitionis prodigiosæ philtris vel irritando ipsissis œstris, ut tyrannicè vi apertâ (quemadmodũ in decẽ persecutionibus) opprimeret Ecclesiam. Unde corruit effugium quorundam prætendentium, nihil peculiare, nisi diabolus absolutè ligatus dicatur, hîc de mille illis annis dici posse, quod non perpetuò locum habuerit & habeat, cùm providentiâ Dei diabolus sic semper teneatur obstrictus, ut nequeat seducere eos, qui verè crediderunt. Quanquam enim Satanas Ecclesiam Christi & domesticis calamitatibus, miseriis, adversitatibus & etiam externis subinde incursionibus, etiam durante hoc millenario, exercebat; tamen ita vinctus erat,, ut per universalem gentium seductionem illam aperto Marte non posset oppugnare, sicut fecerat antea sub Imperatoribus Ethnicis, & mundũ penitus seducere nisi transfigurans se in angelum lucis & præconem justitiæ. Id cùm præstitit, operâ dedit ut Judæos induraret, hæreses novas excitaret, zizania in agro Dni. consereret, bestiâ, Pseudopropheta

tam & imaginem bestiæ produceret. Quo pacto ex Dracone Antichristi spiritus factus est 1. Joh. 4. ℣ 3. Quibus omnibus ritè perpensis, nemo sanæ mentis inficias iverit, hîc revera aliquid peculiare, quod non perpetuò locum habuerit, dici. Et quomodo tandem D. Absoluti suam de absolutâ Satanæ ligatione sententiam defensuri & expositurі sint, ut non contradicant aliis sacræ scripturæ locis, nos, qui noster est stupor, assequi non valemus. Nam, ut jam non dicam de consectario illo Adversariis sæpius objecto, sed nunquam exactè ab illis soluto; nullum nimirum, si diabolus absolutè ligatus dicatur, adeoque non operetur in filiis inobedientiæ, reprobum fore in terrâ, quod eousque stabilit Servator noster, ut in parabolâ illâ Matth. 13. (cujus scopum esse ostendere, semper in Ecclesiâ Dei hypocritas & reprobos reperiri, omnes fatentur Theologi) asserat, omne zizanium agro, in quo Dominus bonum semen seminaverat, ab inimico, hoc est, à Diabolo, illatum esse: tali modo etiam frustranea esset Petri admonitio ad omnes fideles citra respectum ullius loci & temporis directa; *Sobrii estote & vigilate, nam adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devoret* 1. Petr. 5. ℣. 8. Et cùm in oratione dominica (quæ, sive sit stata, ut semper eadem verba usurpare, sive nuda formula, juxta quam preces nostras formare & instituere debeamus, quod ego hîc non disputo, mihi tamen non officit) quam Christus omnibus orare præcepit, habeantur verba hæc, *libera nos à malo*, hoc est à diabolo, vel deserenda erit Adversariis illa hypothesis, vel dicendum, illos Martyres hac precatione non opus habituros, quod quàm absurdum sit, nullus non videt. Imo tantum abest, ut talis absoluta Satanæ ligatio in hoc mundo locum habitura sit, ut è contrario Apostolo Judæ dicatur, *judicio magni illius diei sub caligine reservari, vinculis æternis* tum demum absolutè vinciendus Jud. ℣ 6. Limitata igitur, non absoluta fuit hæc ligatio, quâ non obstante dupliciter, numellis quasi impactus, venenum suum effundere & nocere potuit: *primò* per se, nempe temerè ipsi appropinquantibus & securius intra catenæ extensionem cum ipso colludentibus, haud secus ac ligatus canis, qui non excurrit ad prædam, incurrentem tamen ferocius dilaniat, alio modo, per proxenetas suos & emissarios, perinde

 inde

inde acsi clathris inclusus rugiens leo, ne vi apertâ perderet, vulpem clàm submitteret, qui occulta fraude gregem dissiparet & subverteret.

IX. Sed audiamus porrò, quomodo exponendi sint hi mille anni, an totidẽ revolutiones solares denotent ad literã vel indefinitum aliquod sed tempus satis prolixum, quo Satanæ rabies coërcebitur. Indefinitum tempus designare, putant multi è Vetustioribus & omnes ferè Pontificii; verum, cùm citra necessitatem à propria significatione non sit recedendum, nec etiam hæc explicatio textui satis conveniat, in quo mille anni sex continuatis versibus expressè iterantur, bis sine, quater verò cum Articulo τὰ χίλια ἔτη emphaticè; bene exinde concluditur: eos præcisè (κατὰ τὸ ῥητὸν) exponendos esse. Nec obstant nonnullorum instantiæ: mille plurimos annos non tantùm in Scripturâ ut Psal. 91.7. יפל מצדך אלף ורבבה מימינך אליך לא יגש: *vide Psalm.* 105. &c. Sed etiam apud Prophanos Authores sæpius innuere; alia enim est ratio assertionis amplificantis, alia prophetiæ informantis, in priori sufficiat, si ex mille multos, hoc est, ex speciali generale per Synecdochen colligatur. At in prophetia, si litera deseratur & calculus mutetur, summa totalis facile perturbatur. Quæ de exordio horum annorum sufficiant.

X. Progrediemur jam ad alteram partem instituti nostri, disserturi etiã de *modo resurrectionis*, cujus ab initio meminimus. Hujus respectu quæritur primò; *Utrum illi Martyres, quorum mentio fit in textu Apocalyptico, resurrecturi sint corporaliter vel spiritualiter?* Chiliastæ affirmant prius, ast malè: Introducit enim alia hæc sententia corporum resurrectionẽ, præter universalem in die extremi judicii demum futuram, contra doctrinam Pauli, qui omnes (quibus etiam se ipsum annumerat) tunc mutandos & immortalitatem mortalitatis vice esse induturos, sine ulla exceptione tradit, quod repetit sub distinctione quadam resurrectionis primæ & secundæ, sed ad clangorem tubæ Dei peragendæ, ebuccinante Archangelo 1. Cor. 15. 16 17. 1. Thess. 4. 15. Adhæc, illis sanctitas & beatitudo tribuitur, qui redduntur participes resurrectionis primæ. Quod si illa est resurrectio carnis, plures utique sunt beati & sancti, quam qui primi in carne resurrecturi dicuntur. Imo absurdum est dicere, illos

qui

qui pro Evangelio mortui sunt, corporaliter resurrecturos esse: Patriarchas verò & Prophetas, ut eodem modo cum Christo regnent, non esse resurrecturos; cum tamen illi disertam habuerint promissionem κληρονομίας τῆς γῆς, quibus proinde præ aliis ejusmodi competere debuisset resurrectio. Non nescio quidem, quid hic vulgo respondere soleant, nempe justitiæ Dei consentaneum esse, ut, qui propter confessionem Christi plura mala, quam alii pertulerunt, diuturniore etiam gaudio, pace & gloriâ fruantur: verùm cùm hoc æque locum habeat in Martyribus Veteris Testamenti & eosdem à tyrannis miserè propter nomen veri Dei trucidatos esse constet, evanescit hoc Chiliastarum effugium. Accedit, quòd ne quidem textus de solis Martyribus loquatur, sed etiam illis οἵτινες οὐ προσεκύνησαν τῷ θηρίῳ, &c. hanc prærogativam tribuat, quod deinceps clarius monstrabimus. Nec est, quod dissidentes excipiant, illos Martyres, antequam Martyrium subierint, modo spiritualiter à doctrinæ erroribus & peccatorum sordibus (quam resurrectionem nos propriè hîc intelligendam esse, statuimus) resurrexisse, neminem enim propter nomen Christi mortem perpeti, nisi prius in ipsum crediderit, omnemque spem & fiduciam in ipso tanquam Servatore & unico salutis suæ fundamento fixam ac collocatam habuerit; adeoque hic non resurrectionem spiritualem sed corporalem intelligendam esse. Nam *primò* ipsi falsò præsupponunt, verbum ἔζησαν *vixerunt* quod legitur ℣.4. idem esse, quod ἀνέζησαν *revixerunt*, quod habetur ℣.5. *Secundò* nomen animæ, quod occurrit ℣ 4. sumendum esse *Synecdochicè* pro totâ personâ, adeoq; dicendum esse, animas illas, cùm non revixerint ratione suiipsarũ, utpote quæ nunquã fuerant mortuæ, revixisse ratione suorum corporum, & per consequens idem esse, quum dicuntur vixisse, id est, revixisse, ac si diceretur, corpora earum resurrexisse, quæ omnia falsa sunt. Quod ut liqueat, notandum: vitam esse duplicem, unam videlicet in cœlo, alteram in terra. Sicut jam vita est duplex: sic etiam duplici illi subjecto nempe ταῖς ψυχαῖς τῶν πεπελεκισμένων & illis οἵτινες οὐ προσεκύνησαν τῷ θηρίῳ cuique sua vita attribuenda est. Animæ nimirum à corporibus suis separatæ non nisi in cœlo & vivere & regnare possunt. Tali modo in *Scriptura* dicuntur Abrahamus, Isaacus & Jaco-

 bus

bus vivere Deo Luc. 22. 38. De illis autem, qui non adorârunt beſtiam, non dicit Johannes, εἶδον ψυχὰς αὐτῶν ſed εἶδον, ἔζησαν i. [illegible]. Illis tribuit vitam congruentem ſtatui eorum in terra viventium, & agnum potius quam beſtiam ſequentium; adeoque illi cum Chriſto vixerunt & regnarunt, quando ligato Satanâ, liberè Chriſtum profeſſi ſunt, effectumque hinc, ut verbo & Spiritu Dei ad novam in Chriſto vitam regenerarentur, à peccati Satanæque ſervitute, mortisque poteſtate liberarentur, & vindicati in filiorum Dei libertatem, Reges & Sacerdotes Dei in Jeſu Chriſto evaderent. Innuitur itaque quidem, tempore ligati Satanæ quosdam reſurrexiſſe à mortuis, quosdam verò non reſurrexiſſe, qui reſurrexerunt illi prædicantur beati utpote participes reſurrectionis primæ, in quos adeò ſecunda mors poteſtatem nullam amplius habitura ſit: ſed verbum *reſurgere* ad animas non refertur. Unde ſatis puto, Adverſarios percepturos eſſe, non corporalem ſed ſpiritualem reſurrectionem hîc, citra abſurdum, quod ſuperius noſtræ ſententiæ impingere conabantur, intelligi poſſe; imò debere. Nec valet inſtantia; ſi ℣. 4. intelligere oportet reſurrectionem ſpiritualem: tum pari ratione ℣. 5. per verbum *reviviſcere* reſurrectionem ſpiritualem intelligere oportebit. At hoc fieri non poteſt. Quare? ſequerentur enim, inquiunt, hæc duo abſurda, 1. mille illis annis neminem ſpiritualiter reſurrexiſſe, id eſt, converſum eſſe, præter ſolos Martyres. At ego nego, textum loqui de ſolis Martyribus: ſed potius de omnibus in univerſum fidelibus, qui ſpatio horum mille annorum vixerunt: expreſſè enim in textu diſtinguuntur illi, qui non adorârunt beſtiam, neque imaginem ejus, &c. ab animabus eorum, qui ſecuri percuſſi ſunt: & ſic hujus abſurdi conſequentia eſt nulla. 2. dicunt etiam abſurdum hoc ſequi, quod ſtatuendum ſit, exactis illis mille annis omnes ſpiritualiter mortuos, ſpiritualiter etiam reſurrexiſſe aut reſurrecturos eſſe. At nego etiam hoc ſequi; ſequeretur demũ, ſi particula illa ἕως mortis illius continuationem cum termino deſignaret, quod hîc fieri non concedo. Significatur enim, illos veritatem planè & conſtanter repudiâſſe, longamque adeò ſtertiſſe noctem, integris illis mille annis & ligato quidem Satanâ non expergiſcentes, ut doctrinæ ſalutaris

jubar

jubar ipsis illucesceret. Illam autem particulam ἕως sæpius continuationem sine termino designare, scriptura ostendit in variis tam V. quam N. Testamenti locis. ut Matth. 1. ℣. 25. καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον &c. & Matth. 5. ℣. 26. Item denotat etiam interdum particula עד in V. T. ut Gen. 28. ℣. 15. עד אשר אם עשיתי את אשר דברתי לא אעזבך item 2. Sam. 6. versu ultimo.

XI. Sed annon illorum sententiam de futurâ λοιπῶν τῶν νεκρῶν resurrectione corporali varia absurda comitentur, hîc Chiliastæ attendant. Prætendunt enim reliquos, præterlapsis illis mille annis statim resurrecturos esse, quod colligunt ex versu quinto malè intellecto: At falsum hoc esse, nos bene colligimus ex ℣. 7. Ubi dicitur καὶ ὅταν τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη, λυθήσεται ὁ Σατανᾶς ἐκ τῆς φυλακῆς αὐτοῦ. Si itaque tunc rursum solvetur Satanas, quomodo, quæso, reliqui mortui resurrecturi dici queunt, cùm die ultimi judicii, in quo hæc resurrectio futura est, Satanas à Servatore nostro, unà cum ipsius asseclis & adhærentibus in ignem æternum non tantum dimittendus dicatur Matth. 25. sed etiam sub caligine illâ vinculis æternis, teste Judâ ℣. 6. tunc reservandus. Accedit, quod sic inchoatis his mille annis dies & horæ universalis judicii creaturis innotescerent, contra expressa Christi verba Matth. 24. 36. & Marc. 13. 32.

XII. Secundò quæritur; *Utrum Fideles mille annis ante impios & infideles resurrecturi sint ?* Negamus contra Chiliastas Veteres his innixi argumentis. 1. Qui resurgent demum die novissimo, illi non resurgent mille annis ante impios : Sancti & fideles demum resurgent die novissimo. E. *Major* liquet, quia etiam impii die novissimo demum resurgent. Ioh. 5. ℣. 29. Matth. 25. ℣. 46. *Minorem* probat Apostolus 1. Thess. 4. ℣. 16. 2. Resurrectio justorum & injustorum immediatè in scripturâ inter se connectitur Dan. 12. 2. Act. 24. ℣. 15. Ioh. 5. ℣. 26. 27. 28. 29. Ergò hæc non antecedet illam mille annis.

XIII. Tertio quæritur, *An igitur Martyres ante alios Fideles mille annis resurrecturi sint & gaudio in hâc terrâ fruituri ?* Negamus etiam contra Chiliastas Recentiores his inducti argumentis. 1. Quibus est commune cum aliis fidelibus resurrectionis & gloriæ

 tempus

tempus, illi non resurgent mille annos ante alios fideles, neque gaudio & gloriâ in hac terrâ fruentur ante illos. Atqui Martyribus est commune cum aliis fidelibus resurrectionis & gloriæ tempus E. *Major* patet. *Minorem* probo ex 2. Tim. 4. ℣. 6. & 1. Petr. 5. 1. Ubi Paulus & Petrus ambo Martyres affirmant, se illius gloriæ cœlestis compotes demum fore cum aliis fidelibus in die illo judicii universalis. 2. Quos Christus post novissimum judicium demum ad se recipiet, ut cum ipso sint, illi mille annis ante alios non resurgent & cum Christo erunt. *Atqui* Martyres, &c. E. *Major* iterum claret, *Minor* probatur, Ioh. 14. ℣. 3. ubi Christus Apostolis (qui omnes, excepto Johanne, Martyres evaserunt) assumptionem in cœlum promittit in ultimo demum die futuram. 3. Apostoli scopus est 1. Cor. 15. probare communem in Christo resurrectionem mortuorum. Ad hoc autem probandum argumentum ducit à Martyribus ℣. 30. 31. 32. Aut ergò hoc Pauli argumentum nullius est ponderis, aut resurrectio Martyrum est communis aliis piis 4. Martyres die novissimo aut inter vivos aut inter mortuos reputabuntur 1. Cor. 15. ℣. 31. 1. Thess. 4. ℣. 14. 15. 16. 17. 2. Tim. 4. 1. Atqui non possunt reputari inter vivos, quia modo obdormierant, Ergo reputabuntur inter mortuos & per consequens habebunt communem cum aliis resurrectionem. 5. Nec textus etiam solis Martyribus hanc resurrectionis prærogativam tribuit, quod suprà demonstravi; unde hæc de modo resurrectionis sufficiant.

XIV. Properabimus jam ad tertium instituti nostri membrum, dicturi de regno illo Millenario, ejusque loco. Hujus verò respectu controvertitur primò; *An Christus etiam ad erigendum tale regnum millenarium, ante judicium novissimum in has terras reversurus sit?* Negamus contra Chiliastas & contrarium probamus his argumentis. 1. Quem oportet cœlo capi usque ad tempora restitutionis omnium, id est, usque ad judicium novissimum, ille ante illa tempora non potest esse in mundo ut ibi regnum erigat: Atque Christum oportet cœlo capi, usque ad tempora restitutionis omnium. E. *Major* patet; *Minor* est Apostoli Act. 3. ℣. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. 2. Christi regnum non est de hoc mundo Joh. 18. E. non potest dici regnum

in

in hoc mundo erecturus, in quo per multa secula regnet. 3. Christo venturo, finis hujus mundi erit. Ergò non eriget regnum millenarium in hoc mundo. Antecedens probatur 2. Pet. 3. ℣. 10. 1. Cor. 15. ℣. 23. 24. 1. Thess. 4. ℣. 15.

XV. Secundò quæritur: *Utrum Martyres aut alii Sancti ante ultimum judicium in pace, victoria & voluptate hujus seculi cum Christo mille annos regnaturi sint?* Negamus etiam contra Chiliastas moti his rationibus 1. quia illis in hoc mundo prædicuntur variæ calamitates, nec ab illis ullum in verbo Dei promittitur liberum tempus nisi post mortem Joh. 16. ℣. 33. Act. 14. ℣. 22. 2. Tim. 3. ℣. 12. 2. quia Salvator ipse beatos prædicat non illos, qui in hoc mundo triumphant, sed qui lugent, qui persecutionem patiuntur propter justitiam & quibus homines maledicunt Matth. 5. ℣. 4. 10. 11. & similia qui perpetiuntur, illis Servator ℣. 12. copiosam pollicetur mercedem, verùm non in hoc mundo eam, sed in cœlo. 3. quia regnandi dignitas non ipsis Martyribus sed animabus illorum tantum tribuitur, illæque vixisse non revixisse dicuntur. Ad personas igitur ea referre, aut ad aliam quàm ab Antichristi erroribus resurrectionem, quibus reliqui obnoxii erant, alienum videtur à prophetiæ scopo: Nec est, quod diffidentes dicant, animas hic sumi Synecdochicè pro animabus corporibus unitis: valdè lubrica enim est tropica locutio ad dogma tale, de quo inter multos magni nominis Theologos non convenit, stabiliendum.

XVI. Tertio controvertitur; *Utrum Martyres cum Christo regnaturi sint in cœlo vel in terrâ?* Hîc Chiliastæ inter se non conveniunt. Nonnulli hoc regnum ad terras deducunt. Nonnulli verò in cœlo futurum asserunt. At neutrum video fundari in textu, in quo simpliciter animæ dicuntur regnaturæ, nullâ loci habitâ ratione. Notandum verò, duplex dari regnum, nimirum gratiæ & gloriæ, quod utrumq; innuitur in textu, sed diverso modo. Aliter enim dicuntur regnaturæ cum Christo animæ securi percussorum, aliter qui non adorârunt bestiam. Istæ dicuntur regnaturæ cum Christo in cœlo, immarcessibili gaudio fruentes & laborum suorum & mortis suæ ex Ecclesiæ Christi in terris amplificatione, fructum dulcissimum percipientes. Hi autem in terra, dum, victo Satanâ, Christum liberè

pro-

profitebantur, adeoque è Satanæ peccatique servitute, & mortis potestate erepti, verbo & Spiritu Dei ad vitam Dei in Jesu Christo regenerabuntur. Quemadmodum enim inconveniens est dicere, Sanctos cum Christo visibiliter ex cœlo descendente & in terrâ hac regni visibilis habenas tractante regnâsse; dum cum ipso visibiliter præsente in cœlo, vel cum & sub eodem visibiliter absente in terrâ regnare potuerunt: ita etiam veritati minus congruentes videntur agere, qui nullo subjectorum facto discrimine, hoc merum gloriæ regnum in cœlo constituunt, adeoque Martyres, postquàm corporaliter resurrexerunt, statim in cœlum assumptum iri, dicunt; cùm aliâs frustrà ligaretur Satanas, qui tamen, non nisi ob Electorum libertatem augendam, religionem veram amplificandam, cultumque Dei propagandum, ligandus erat, ut satis evidenter colligitur ex fine in textu proposito.

XVII. Diluendæ quidem jam etiam essent reliquæ partis adversæ objectiones, verùm, cùm ex superioribus ritè perpensis plurimæ facile solvi queant, sufficiet unam atque alteram hîc breviter delibâsse. Palmarem, cui maximè innituntur à connexione hujus visionis cum antecedente & consequente deducunt hoc modo. Quo ordine visiones implendæ narrantur, eo etiam implentur: sed prophetica illa narratio hos mille annos conjicit inter Antichristi excidium, quod nondum evenit & bellum Gog & Magog, ut liquet ex textûs serie, E. hæc prophetia est adhuc implenda, & per consequens mille illi anni adhuc exspectandi. Verùm respondemus, objectionem hanc niti falsa hypothesi, nempe Apocalypsin juxta temporum decursum exhibere continuatam historiam, cùm tamen duntaxat continuatam visionem exhibeat: Unde in textu non legitur μετὰ ταῦτα *post hæc* sed tantum καὶ εἶδον *& vidi*, nempe velut præcedentem sic etiam hanc visionem. Neque enim semper fit posterius quod posterius narratur. Imò Adversarii sibi ipsis hîc contradicunt: dum enim urgentur verbis Apostoli 2. Thess. 2. referentis Antichristi interitum ad ultimum Christi adventum, dicunt, Antichristum ante inchoatos mille annos suppressum, per spatium illud vires priores resumpturum esse, cùm tamen cap. 19. ℣. 20. totalē Antichristi interitum præcessisse, fateantur, imo velint nolint, fateri cogantur,

cogantur. Uti enim diaboli totalis interitus versu decimo cap. vigesimi denotatur, quando dicitur conjectus in stagnum ignis sulphure ardens: sic eadem verba versu 20. cap. 19. de Antichristo usurpata non minus totalem ejus ruinam denotabunt. Unde Adversarii, dum hîc in textu continuatam historiam exhiberi volunt, in manifestam incurrunt contradictionem. Instabunt forte prætendendo, bestiam & pseudo-prophetam modo ante Satanam, in stagnum sulphure ardens conjectos fuisse ut liquet ex vers. 10. cap. 20. Antichristi ergo interitum finale Satanæ exterminium præcessisse: concedimus antecedens, sed negamus consequentiam: non enim sequitur propterea, mille annos inter hujus aut illius interitum intervenire.

XVIII. Missis autem aliis Adversantium objectionibus, ad incommoda, quæ eorundem sententiam premunt, deveniemus. 1. Facit judicii ultimi diem hominibus innotescere utpote statim, finitis illis mille annis futurum, contra aperta Christi verba Marc. 13. v. 32. περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν οὐρανῷ, &c. 2. Fingit corporum assumptionem (qualem Papicolæ beatissimæ Virgini Mariæ attribuunt) aut animas è cœlo deducit, ut hîc rursum corporibus suis uniantur, forsan etiam liberos gignant & in voluptatibus & deliciis hujus mundi vivant, contra expressa Scripturæ testimonia 2. Tim. 3. v. 12. Act. 14 v. 22. Psal. 34. v. 20. Job. 7. v. 3. 3. Comminiscitur statum Ecclesiæ militantis, Christo ad judicium habendum veniente, triumphantem, contra illud Servatoris Luc. 18. 8. πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν ἄρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; 4. Injuriam facit sanctis Patribus, quos ad hoc regnum Messiæ & aureum libidinum seculum resurrecturos asserit. Sive enim in cœlo sunt ante Messiæ ad hoc regnum adventum, quàm gravis est injuria, illinc eos detrahere ad vitæ hujus commoda? Sive alibi sunt, certè ubicunque agunt, meliore sunt conditione, quam illa est Palæstinica edendi, bibendi & mactandi pecora ad sacrificia. 5. Tribuit Servatori nostro regnum terrenum & mundanum, cùm tamen ipse dicat, regnum suum non esse de hoc mundo Johan. 18. Plura hîc congerere non capit mei instituti compendium. Cùm jam autem cum ligationis Satanæ millenario regni Martyrum millenarius coincidat, eumque constet non so-

 lum

sum ex ligationis scopo: verùm etiam ex solutionis periodis jam dudum præterlapsum esse: cùm præterea pateat neque Martyres neque alios fideles esse ante impios mille annis resurrecturos, nec etiam Christum ad tale regnum erigendum, in hanc terram descensurum: cùm etiam Adversariorum sententiam multa comitentur incommoda ut sacrarum literarum temporumque conditioni minus congruentem, bene concludo; tales mille annos, quibus Martyres, vincto Satanâ, ex morte revocati cum Christo sive in cœlo, sive in terra regnent, non esse imposterum exspectandos, quod demonstrandum susceperam.

Annexa Autoris.

Occasione materiæ suprà tractata, haud injucundè hic quæritur, quid per Gog & Magog, quorum in eodem textu Apocalyptico v. 8. mentio fit, intelligendum sit; Variatur enim ita utrobique ab Autheribus in horū nominum expositione, ut difficilius penè sit ipsorum litigia de re, quam rem ipsam comprehendere. Judæi fingunt Gog Pseudo-Messiam quendā futurum: Magog autem gentes quasdam Aquilonares ultra Taurum Mōtem, ab Alexandro Magno reclusas, quæ in fine seculi, sub auspiciis ducis Gog in Civitatem sanctam irrumpentes, à Messia vero nondum (ut ipsi opinantur) exhibito, sint delendæ. Jesuvitæ verò (qui vulgò latas paginas aliorum sententiis citandis, ut ita ad multiplicem lectionem imperitiores stupeant, implere solent) hac super re decem ad minimum corradunt opiniones. Verùm tantum abest, ut id, quod asserunt, probent: ut è contrario inter se ipsos, quæ asserant, adhuc non inveniant. Nonnulli, inter quos eminet Bellarminus lib. 3. cap. 7. de Romano Pontifice, *tres congerunt sententias.* Primò *inquiunt; probabile esse, Gog dici à Magog & non è converso, quia Gog est princeps gentis, quæ dicitur Magog.* Secundò *prælium Gog & Magog esse prælium Antichristi contra* Ecclesiam. Tertio, *probabile esse, per Gog significari ipsum Antichristum, per Magog ejus exercitum ex gente crudeli & barbarâ conflatum. Sed hæc à Ribera tanquam veritati minus convenienter dicta perstringuntur. Præterea Scholastici saltem plerique, per Gog hostem Ecclesiæ* occultum: *per Ma-*

gog

gog verò apertũ *designari volunt. Unde non est, quod nostros reprehendant qui ad Antichristum in Ecclesia & Antichristum extra Ecclesiam illa accommodant. Cùm autem textus duo subjecta duobus distinctis vocabulis designet, etiam illis, qui illa nomina junctim vel ad solos Turcas vel solos etiam Pontificios referunt, assentiri non possumus. Non enim video, cur non obtineret recepta illa sententia, quam, dum textus maximè inculcat, & orthodoxa antiquitas olim amplexa est, & hodiedum etiam sinceriores Theologi defendunt! Gog & Magog nimirum, ut duo sunt vocabula, ita etiam duos indigitare Monarchas, alterum* Ecclesiasticum, *qui sub vera religionis prætextu fideles maximè vexet. Alterum* Politicum, *qui Sanctos apertâ vi persequatur: hunc* Romæ: *illum* Constantinopoli *quæsiturus inveniet. Sive autem hebraicè dicatur* גוג *sive* גג *à radice inusitatâ* גגג. *Et an* מ ma *in voce* מגוג *sit particula privativa, quæ respondeat Græcorum litera* α *& Latinorum præpositioni* In *vel* De, *cùm sic juxta usitatam Hebræorum punctationem,* מגוג miggog *vel intercedente* ה *emphatico, (propter quod, quia utpote ex gutturalibus* אהחע *dagesch excludit,* מ *loco chireck assumit zere)* מהגוג mehaggog *dicendum sit: an verò illud* מ *sit una ex sex literis* האמנתי heemanti, *non juvabit adversarios, nec infringet nostram sententiam. Siquidem (ut rectè notat Drusius) non insolens est talis in nominibus mutatio: Præsertim cùm hæc Syriacam potius dialectum quam Hebraicam sapiant. Syri autem (annotante Mich: Dilberro, Gramm. Syriac. Sect. 2. pag. 9.) accuratum discrimen inter vocales longas & breves non habent. Multo minus audiendus Bellarminus, qui vocem* מגוג *à* גוג *derivari vult: eodem siquidem criticismo, Christum ab Antichristo & non è contra arcesseret. Sicut autem bis junctim duntaxat de illis duobus nominibus legimus, semel in Testamento Veteri & semel in hoc commate, quod jam præ manibus habetur: sic etiam est duplex harum prophetiarum impletio, prima in typo, altera in antitypo. Quem enim latet in prophetiis, præsertim V. Testamenti, non duntaxat res per verba, sed futuros etiam eventus per antecedentes significari & adumbrari? Quare sicut nihil obstat, quo minus parvulũ cornu apud* Danielem *Antiochum designaret immediatè, & Antiochus esset typpus Antichristi: ita cur prima irruptio* Gog *& Magog prædicta ab Ezechiele & impleta Maccabæorum tempore ab Alexandri Successoribus non adumbraret, nobis hunc secundum eorundem incursum? quem* Johannes *dile-*

ctus ille Christi discipulus iisdem pene verbis delineat, acsi dixisset: sicut non defuerunt Gog & Magog; id est hostes occulti & aperti post liberationem à captivitate Babylonica; qui Judaicam Ecclesiam multis tribulationibus, afflictionibus & plagis affecerunt usque ad primum Christi adventum: ita fideles à mystico Babylonis jugo tandem liberati nullam sibi de perpetuâ pace & tranquillitate, quamvis certâ victoriâ, spem faciãt; affligentur enim à Gog occidentali *& Magog* orientali *usque ad secundum ejusdem Christi adventum.*

2. *Symbolum Apstolicum, quod nunc habemus, malè statuunt pontificii ab Apostolis conscriptum esse, quasi quilibet Apostolorum particulam aliquam, tanquam bolum suum apposuerit. Petrus,* Credo in Deum Partem omnip. &c. *Johannes,* Creatorem cœli & terræ. &c *et sic reliqui usque ad finem. Ridiculum, inquam, & insolens est hoc, quasi cento consuendus fuisset. Statuimus igitur esse* materialiter *divinum sed* formaliter *humanum.*

3. *Ex collatione Antiquissimorum Patrum & Scriptorum, qui 4. 5. 6. & seq. &c. seculis vixerunt, colligimus duplex esse distinguendum symbolum, quæ distinctio neglecta a. non animadversa confusionem & errorẽ omnem peperit. Prius est explicatione brevius, sed usu antiquius, & ut posterius tantum est* materialiter *divinum, sic hoc prius et* materialiter *et* formaliter.

4. Animam Lazari quatriduani, aliorumque, qui ad vitam hanc mortalem ex mortuis resurrexerunt, statuimus fuisse non in corpore sed in cœlo, in quo per providentiæ divinæ dispensationem tantisper illæ animæ asservatæ fuerunt, donec iterum Dei potentiâ corporibus suis restituerentur ad residuum vitæ suæ emetiendum: ad gerras Siculas rejectis iis omnibus, quæ insuper Papicolæ de Limbis Patrum, Infantium, Purgatorio & similibus Entibus fictis contra Scripturam audent comminisci.

5. Magas & Magos diabolo fœderatos converti posse non negamus: unde nec affirmamus ipsorum peccatum esse peccatum in spiritum Sanctum.

6. Diabolus in patrandis veris miraculis, quæ ipsum aliquando patrare posse virtute & ope Dei, non inficias imus, est tantum causa moralis, & in quibusdam etiam Physica in sphæra

activi-

activitatis naturalis Dei permissu & concursu applicando activa passivis

7. Quomodo verba, quæ occurrunt Psalm. 22. v. 17. כארי ידי ורגלי exponenda sint, ut satisfiat scopo Spiritûs Sancti, non duntaxat olim inter veteres sed etiam hodie inter Recentiores maximè controvertitur. Postulantur vulgò Judæi magnæ malitiæ, quâ vocem hanc כארי corruperint, cùm ante Christum natum aliter scripta ac lecta fuerit; unde & 70. Interpretes eam aliter, quàm nunc ad literam significet, transtulerint. Nam כארי *est sicut Leo*, Græcorum versio est ὤρυξαν *foderunt*. Verùm, quo minus credam vocem illam à Judæis esse corruptam, obstat præceptû Dei *Deut*. 4. *v*. 2. *de non addendo aliquid vel detrahendo*, quod semper tanti fecerunt, ut vel mille mortibus tale factum expiandum, vel mundum ob unius literæ corruptionem ruiturum, duxerint. Imò Judæi multos Christianos, qui nimis oscitanter & mendosè aliquando Græca ediderunt, hîc suâ vincunt industriâ, nulli operæ, nullis parcentes sumptibus. Et si vocem כארו ex malitiâ, ut mysterium crucifixionis Christi apertissimè à Davide prædictum obscurarent, sustulerunt, quare non etiam versum 19. hujus Psalmi, quo, cùm tam evidenter agat de partitione vestium & missione sortis super eas, certè non minus premuntur, quàm voculâ כארו? quare etiam quàm plurima de eodem Christo loca non minus evidentia corruperunt? Putarem ego (salvo tamen accuratiori judicio) vocem כארי citra ullam contradictionem aut absurdum retineri posse, & non concedendum esse adversariis, mendum sive librariorum culpâ sive Judæorum malitiâ in textum irrepsisse. Non opus autem erit, receptam lectionem τȣ̃ כארי sollicitare, si dicamus, constructionem esse defectivam & referamus *verbum* הקיפוני *ad substantivum* כארי exponamusque hoc modo; *circumdederunt* vel *constrinxerunt me sicut leo* maximè autem *manus meas & pedes meos*. Non enim voluit David hâc voce tam facinus ipsum quàm facinoris qualitatem nempe rabiem eorum, quâ contra Christum leonum instar furebant, exprimere: sicut eâdem metaphorâ ob petulantiam & insolentiam eos nuncupavit vitulos, propter fortitudinem tauros v. 13. propter atrocitatem leones rugientes. 2. Possumus dicere,

verbum נקף significare *percutere pertundere*, *confringere*, uti Jes. 10. v. 30. & 24. 1, & 3. 24. *perfodere*, *& perforare* quomodo Job. 19. v. 26. ut idem sit quod נקב Litera enim ב & פ facile inter se permutantur. Ita sensus erit; *perfoderunt, transfixerunt vel contuderunt sicut leo manus meas & pedes meos*, eadem significatione, quâ Jes. 38. v. 13. Accedit, quod ne quidem regulariter dicatur כארו à radice כרה nisi forte per Epenthesin literæ א, quod tamen valdè rarum est. Dices, nec literam כ in voce כארי posse esse servilem, quia punctatur cum Kametz. At dico ego, Kametz illud esse ab articulo præpositivo ה hîc excluso. Est enim regula Grammatica, articulum illum conjunctum voci inchoatæ ab א punctari per Kametz. Nec hæc interpretatio interpretationi 70. Græcorum (quamvis ea nobis non sit authentica) contrariatur: illi enim duabus vocibus utramque significationem verbi נקב expresserunt, περιέσχον quod est ex significatione יקף & ὤρυξαν, quod est ex נקב. Si dicatur in omnibus Christianorum Interpretionibus reperiri *foderunt* Respondeo, retineant sanè, sed ut exprimat הקיפוני non verò vocem כארי hæc e. exprimi non potest per *foderunt*, præstat autem ἐπέχειν quàm à textu originali abire.

8. Nullus Pontificiorum, quicquid etiam contrà delirent, rectâ ratione ex scriptura probare potest, Petrum unquam Romæ fuisse.

9. Potest quis cum propriâ uxore adulterium committere.

10. Non passivâ duntaxat, quod quondam quidam prætenderunt, Christi justitiâ; sed etiam activâ coram Deo justificamur.

11. An Christus quoad animam vel in limbum Patrum vel in infernum descenderit? Nego utrumque, *prius* contra Pontificios, *posterius* contra Lutheranos.

12. An mundus hic visibilis per ultimam conflagrationem sit penitus annihilandus? Nego.

13. Christus pro solis electis mortuus est.

14. Malè Pontificii suum Pontificem statuunt caput Ecclesiæ veræ Catholicæ.

15. Petrus non fuit Apostolorum Dominus, Christi Vicarius, Ecclesiæque Catholicæ caput visibile & Monarcha.

16. An probatio magiæ per aquam sit legitima? Neg.

17. Ulte-

Ulterioris corollarii vice, ut sat ampla disputandi materia oppositurus detur, totum Manuale Jesuitæ Becani, in quantum Reformatorum doctrina contradicit, refellere cum bono Deo suscipio.

Ad Dn. Autorem & Respondentem.

IN terris felix annorum mille futurum
Regnum, quo, vincto Satanâ, dominetur Iesus
Cum sanctis; multis placuit priscisque novisque:
Displicet at multis veterum multisque recentum.
Et meritò. Quoniam non hoc promisit Iova,
Ast in supremâ cœli regione perenne.
Sanis te sociant nunc Regnum destruis illud,
Confictum monstrans, sine verbi robore sacri,
Præcipuumque locum Scripturæ errantibus aufers,
Pergito sic verum Christi defendere Regnum.
Et quodvis falsum fictumque refellere Regnum.

MATTHIAS NETHENUS Præses.

J*Am* Florinus *eris*, flos ô Florine, *micanter*
Observat flores *dum Schola nostra tuos.*
Florinum dici *non est laus magna*: tueri
Nomen Florini, *est gloria, magnus honor.*
Te Schola Florinum dixit Florine; *sed esse,*
Hic mentis flores *ingeniique probant.*
Ergo perge tuos, Florine, *expromere* flores:
Si vis Florini *stet tibi* florus *honos.*
Flores *nostra tibi non* Flora *negabit odoros*,
Ut carpat flores *patria mella tuos.*

Ita
Efflorescentes Dn. Florini in Studiis Sacris flosculos
Animo gratulabundo prosequebatur
JOHANNES LAURENTIUS CROLLIUS
Eloq. Prof. P. & Pædagogéarcha.

AUtumni vento flores & frigore pressi
Folia deponunt, gratoque orbantur o-
dore,
Ver favet ac æstas flori, quem frigora lædũt
Tu tamen autumni clarus cũ tẽpore flores,
Mirum: jam flores tristes sua colla remittũt
Tu tollis doctum sævo cum frigore acumẽ,
Frigora cùm nequeant tantum tardare vi-
gorem
Ingenii tanti, famam nec tollere seram
Tempora post poterunt, annos dum mille
recenses,
De quibus est dudũ doctis lis maxima mota,
Quæ sit divino sententia consona verbo
Ponens, efficies ut in annos mille virescat.
Flos es, florebis, magnusq; vigebis in ævũ
Vere, æstate, hyeme ac autumno clarus o-
dore.
Perge diu florere Tuis, Tibi prospera quæq;
Opto, Me pòsthac Florino dedico totum.

Raptim inter alia
Amico medullitùs amato hæc posuit
MARTINUS WINCHENBACH Eccles. Dillenb. Past.